



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Jesus Syracides. Memorïæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Quid erat aliud Sionius collis, quam Barbarorum fodina?  
 At ne avarus prædo videretur,  
 Si Hebræorum Gazas, non ipsos taperet;  
 Centena civium millia catenis oneravit,  
 Itaque totum Ægypti ferrum, Judæi;  
 Totum Judææ aurum, Ægyptii secum tulere,  
 Sed tristitia lætis rursum mutata,  
 Vacavit aliquando Africa monstribus?  
 Ptolemæo Lagidi Ptolemæus Philadelphus succedit,  
 Rudi eruditus, ideoque benignior,  
 Cujus beneficia proximus hic lapis servat.

JESUS  
 SIRACIDES.  
 MEMORIÆ.

Æternitati.

Ptolemæus Philadelphus,  
 Suasore Phalerio Demetrio,  
 Alexandrinam bibliothecam unico libro cumularurus,  
 Mosis volumen, scitosque voluminis interpretes,  
 A Pontifice Maximo Eleazaro precatur,  
 Ut imperret, captivos donat:  
 Et Hebræus liber, liberos fecit Hebræos,  
 Quantum Phalereo debeat Ecclesia, vides,  
 Tot habuit statuas, quot annus dies:  
 Tot meruit, quot æternitas annos.  
 Immò attoniti liberti, spirantes Phalerei statuæ fuerunt,  
 Hujus officii ingens miraculum vidit Pharos:  
 Duos & septuaginta interpretes,  
 In Erythræo litore domunculis discretos,  
 Patrium Bibliorum idioma, græcè vertere;  
 Tantâ ingeniorum conspiratione,  
 Ut ne de syllaba discordes reperti sint,  
 Dixeris, aut tot manibus unum præfuisse caput;  
 Aut tot capita una scripsisse manu,  
 Unilingues fuere, quia unicordes.  
 Pretiosorem unionem nusquam viderat illud mare,  
 Unionum ferax.

Nov

Nova res, & miraculo similis,  
 Inter Hebræos concordia, inter Græcos veritas.  
 Nimirum, aderat inter Interpretes Jesus,  
 Cujus nomine veritas sibi constat;  
 Quæ semper eadem, atque una,  
 Hoc tuus testatur Ecclesiastici liber,  
 Qui unus omnibus consonat, & omnia dicit.  
 Ex uno interprete omnes discite,  
 O docta capita, sua scriptili papyro,  
 Qua Pharii Reges coronantur, laureanda;  
 Nec improvide librum edidite,  
 Ubi turrita Phatos fidum nautis lumen ostendit.  
 Nam per fallaces Rabinorum Sytes,  
 Errore vario jactata ingenia,  
 Voluminis hujus lampas in rectam ducit;  
 Et gentilitati naufragæ præluet.  
 Huc proram obverte, & anchoram fige.

## ELIUD

ACHIMI FILIUS.

ELEAZAR ELIUDI FILIUS.

CONSOLATORIA.

Detentimo urgentur Sæculo sanctissimi Heros  
 Eliud & Eleazar.  
 Debuit tota nequitia se proferre,  
 Integra Instauratori materia  
 Ad Homines festinat salus, quia scelera ad metam  
 Hostes pariter & carnifices instant.  
 Brevi, Martyrum Sæculum est.  
 Quorum sanguis Messia præluet, Soli aurora.  
 Barbarici ferri magnes Templi aurum fuit,  
 Toties raptum, & rapiendum.  
 Infelix Metallum: nullibi tutum, ne in Templo quidem  
 Merito pallidum, quod ubique infidias paveat.  
 Sacra hujus fame captus Seleucus, Heliodorum immittit:  
 Qui Angelorum flagello tactus, intactas opes relinquit,  
 Ac ni Onias orasset, invenerat latro pro loculis loculum.  
 Succo.